



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

12. Ottonis II. Regis, Ottonis M. Filij Dat. Sologe Anno DCCCCLXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

*Ottonis II. Regis, Ottonis Magni Filij Datum Sologe,
Anno DCCCCLXIII.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuina annuente Clemen-
tia Rex. Quoniam Regalis Antecessorum nostrorum prouidentia, & solli-
citus in construendis, constructisque stabiliendis Dei Ecclesijs piè iugiter
inuilgavit. Idcirco benignissima, & misericordissimâ Christi miseratione, in
cuius manu Regum corda & Iura consistunt, Regni illorum diuturnitas pacifi-
cata viguit & effloruit. Vnde nos piè salubriterque de nostri statu regni tractan-
tes, deuotamque illorum sollicitudinem imitari cupientes priuilegia pijsissimi
Genitoris nostri Domini Imperatoris Augusti Cæsaris Ottonis, ceterorumque
retroacti temporis Imperatorum & Regum Dagoberti videlicet, Pipini, Ma-
gni Caroli, pijsque Ludouici successorumque eorum, Cœnobio Sancti Maxi-
mini qui in suburbio Treuironum requiescit, concessa vel attributa cum consi-
lio Archiepiscopi Wilhelmi Fratris scilicet nostri, nostra etiam autoritate ro-
borare decreuimus, vt & Antecessorum nostrorum beneuola pietas non à no-
bis neglecta debilitetur, & Monachorum ibidem Dei seruientium tranquillitas
ab aliqua subintroducenda persona non inquietetur. Ea siquidem ratione, vt
idem Cœnobium, ubi prænotatus S. Pontifex requiescit, cui Venerandus Ab-
bas Willerus præesse videtur, sicut sub Antecessorum nostrorum, sic sub nostro
quoque Iure, Mundiburdio & defensione consistat, nec alicui sedi aut Ecclesiæ
(excepto, nostræ Regalitati) vt famulum, aut appendix subiaceat. Concessi-
mus etiam eis liberum inter se eligendi Abbatem arbitrium, vt eò securius diui-
num ab illis impleatur officium, summæq; propensius Maiestatis pro nobis im-
plorent auxilium. Et vt hoc autoritatis nostræ præceptum firmum & stabile
permaneat, chartam hanc conscribi, & annuli nostri impressione signari iussi-
mus, quam manu propria subtus firmauimus. Signum Domini Ottonis
inuietissimi Regis. Ludolphus Cancellarius
ad vicè Wilhelmi Archicapellani recogno-
ui. Data XII. Kalend. Augusti Anno Incar-
nationis Dominicæ DCCCCLXIII. Indi-
ctione VI. Anno Imperii Dñi Imperatoris
Augusti pii Cæsaris Ottonis II. Regni vero
Serenissimi Regis Ottonis III. A&um Solo-
ge in Dei nomine feliciter. Amen.

